



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 13. An Episcopus potest validè limitare approbationem, quoad tempus,  
locum, & personas?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



Q. 11. *An Regulares egent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones suorum famulorum secularium?*

Resp. Clemens X. constit. cit. declaravit: *In Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, posse tam Praelatos Regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum, audire Confessiones illorum Secularium, qui inibi sunt de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

Q. 12. *An approbatio semel data, etiam sine limitatione temporis, validè revocari potest etiam sine justa causa?*

Resp. Aff. Nam nullo jure talis revocatio irritatur. Quòd si ad tempus limitatum data fuit approbatio, cessat statim per se exacto termino: nam approbatio durare nequit ultra tempus praescriptum ab eo, à cujus voluntate pendet: hinc novâ opus est.

Q. 13. *An Episcopus potest validè limitare approbationem, quoad tempus, locum & personas?*

Resp. Aff. Constat 1. Ex praxi quotidiana.  
2. Oppositum damnavit, Alex. VII. an. 1659.  
3. Quia habens approbationem etsi injustè restrictam ad tempus, locum, vel personas, revera caret approbatione pro alio tempore, loco, & pro aliis personis: unde non potest validè.



lidè absolvere in tali loco, tempore, & tales personas, pro quibus non est approbatus. At sine approbatione actu existente invalida est absolutio.

Q. 14. *An Sacerdos non approbatus potest absolvere à venialibus?*

Resp. Non potest saltem licitè ex decreto, Innocentii. XI. Edito an. 1679. *Non permittant (Episcopi) ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse neque, de futuram Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu. Imò neque etiam validè posse videtur; quia Sacerdos vi ordinationis non habet jurisdictionem, neque subditos etiam solum venialium reos. Nemo autem potest absolvere à peccatis sine jurisdictione ordinaria, vel delegata ex Trid. sess. 14. c. 7. cum absolutio sit actus judicialis, qui non potest exerceri, nisi in subditos; & jurisdictio delegata validè exerceri nequit sine approbatione.*

## ARTICULUS II.

### *De Casibus Reservatis.*

Casuum seu peccatorum reservatio est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis,